

Epistola B. Pauli Apostoli ad Timotheum Prima

Cap. 1 ¹ Paulus Apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu spei nostræ, ² Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, misericordia, et pax a Deo Patre, et Christo Jesu Domino nostro.

³ Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam ne aliter docerent, ⁴ neque intenderent fabulis, et genealogiis interminatis : quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide. ⁵ Finis autem præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta. ⁶ A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, ⁷ volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. ⁸ Scimus autem quia bona est lex si quis ea legitime utatur : ⁹ sciens hoc quia lex justo non est posita, sed injustis, et non subditis, impiis, et peccatoribus, sceleratis, et contaminatis, parricidis, et matricidis, homicidis, ¹⁰ fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, et perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur, ¹¹ quæ est secundum Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.

¹² Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit, ponens in ministerio : ¹³ qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus : sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. ¹⁴ Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide, et dilectione, quæ est in Christo Jesu. ¹⁵ Fidelis sermo, et omni acceptione dignus : quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. ¹⁶ Sed ideo misericordiam consecutus sum : ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam

æternam. **17** Regi autem sæculorum immortalis, invisibili, soli Deo honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

18 Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, **19** habens fidem, et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt : **20** ex quibus est Hymenæus, et Alexander : quos tradidi Satanæ, ut discant non blasphemare.

Cap. 2 **1** Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus : **2** pro regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate, et castitate : **3** hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, **4** qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. **5** Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus : **6** qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis : **7** in quo positus sum ego prædicator, et Apostolus (veritatem dico, non mentior) doctor gentium in fide, et veritate. **8** Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione. **9** Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritas, vel veste pretiosa : **10** sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. **11** Mulier in silentio discat cum omni subjectione. **12** Docere autem mulierem non permitto, neque dominari in virum : sed esse in silentio. **13** Adam enim primus formatus est : deinde Heva : **14** et Adam non est seductus : mulier autem seducta in prævaricatione fuit. **15** Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide, et dilectione, et sanctificatione cum sobrietate.

Cap. 3 **1** Fidelis sermo : si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. **2** Oportet ergo

episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitem, doctorem, ³ non vinolentum, non percussorem, sed modestum : non litigiosum, non cupidum, sed ⁴ suæ domui bene præpositum : filios habentem subditos cum omni castitate. ⁵ Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit ? ⁶ Non neophytum : ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. ⁷ Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli. ⁸ Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes : ⁹ habentes mysterium fidei in conscientia pura. ¹⁰ Et hi autem probentur primum : et sic ministrent, nullum crimen habentes. ¹¹ Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus. ¹² Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsent, et suis domibus. ¹³ Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirunt, et multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu.

¹⁴ Hæc tibi scribo, sperans me ad te venire cito : ¹⁵ si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. ¹⁶ Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

Cap. 4 ¹ Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, ² in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam, ³ prohibentium nubere, abstinere a cibis, quod Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, et iis qui cognoverunt veritatem. ⁴ Quia omnis creatura Dei bona est, et nihil

rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur :
5 sanctificatur enim per verbum Dei, et orationem.

6 Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu enutritus verbis fidei, et bonæ doctrinæ, quam assecutus es. **7** Ineptas autem, et aniles fabulas devita : exerce autem teipsum ad pietatem. **8** Nam corporalis exercitatio, ad modicum utilis est : pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ. **9** Fidelis sermo, et omni acceptione dignus. **10** In hoc enim laboramus, et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum, maxime fidelium. **11** Præcipe hæc, et doce. **12** Nemo adolescentiam tuam contemnat : sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. **13** Dum venio, attende lectioni, exhortationi, et doctrinæ. **14** Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii. **15** Hæc meditare, in his esto : ut profectus tuus manifestus sit omnibus. **16** Attende tibi, et doctrinæ : insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.

Cap. 5 **1** Senioremem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem : juvenes, ut fratres : **2** anus, ut matres : juvenculas, ut sorores in omni castitate : **3** viduas honora, quæ vere viduæ sunt. **4** Si qua autem vidua filios, aut nepotes habet : discat primum domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus : hoc enim acceptum est coram Deo. **5** Quæ autem vere vidua est, et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus, et orationibus nocte ac die. **6** Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est. **7** Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint. **8** Si quis autem suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior. **9** Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, **10** in operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospicio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem

patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est. **11** Adolescentiores autem viduas devita : cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt : **12** habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt ; **13** simul autem et otiosæ discunt circuire domos : non solum otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet. **14** Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. **15** Jam enim quædam conversæ sunt retro Satanam. **16** Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non gravetur ecclesia : ut iis quæ vere viduæ sunt, sufficiat. **17** Qui bene præsent presbyteri, duplici honore digni habeantur : maxime qui laborant in verbo et doctrina. **18** Dicit enim Scriptura : Non alligabis os bovi trituranti. Et : Dignus est operarius mercede sua. **19** Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. **20** Peccantes coram omnibus argue : ut et ceteri timorem habeant. **21** Testor coram Deo et Christo Jesu, et electis angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando. **22** Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi. **23** Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates. **24** Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium : quosdam autem et subsequuntur. **25** Similiter et facta bona, manifesta sunt : et quæ aliter se habent, abscondi non possunt.

Cap. 6 **1** Quicumque sunt sub iugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur. **2** Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt : sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, qui beneficii participes sunt. Hæc doce, et exhortare.

3 Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, quæ secundum pietatem

est, doctrinæ : **4** superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones, et pugnas verborum : ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiciæ, suspensiones malæ, **5** conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. **6** Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia. **7** Nihil enim intulimus in hunc mundum : haud dubium quod nec auferre quid possumus. **8** Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. **9** Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem. **10** Radix enim omnium malorum est cupiditas : quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus malis.

11 Tu autem, o homo Dei, hæc fuge : sectare vero justitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, mansuetudinem. **12** Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus. **13** Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, et Christo Jesu, qui testimonium reddidit sub Pontio Pilato, bonam confessionem, **14** ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi, **15** quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium : **16** qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem : quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest : cui honor, et imperium sempiternum. Amen. **17** Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum) **18** bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, **19** thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.

20 O Timothee, depositum custodi, devitans profanas

**vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ,
21 quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.
Gratia tecum. Amen.**